



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

DXIX. Uebereinkommen des Erzbischofs Albrecht von Magdeburg mit dem Papst über einen in den Erzdiöcesen Magdeburg und Mainz und in der ganzen Mark Brandenburg auszuschreibenden Ablaß, dessen Ertrag ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

DXIX. Uebereinkommen des Erzbischofs Albrecht von Magdeburg mit dem Papsi über einen in den Erzdiöcesen Magdeburg und Mainz und in der ganzen Mark Brandenburg auszuschreibenden Ablass, dessen Ertrag dem Erzbischofe zur Hälfte zukomme und wogegen dem Kurfürsten von Brandenburg das Patronat über die Dompropsteien zu Brandenburg und Havelberg überlassen werde, vom 1. Aug. 1514.

Pro Archiepiscopo Magdeburgensi et postulato Moguntino. — Placeat S. V. concedere indulgentias fabrice Basilice Sancti Petri de urbe, per provincias Moguntinam et Magdeburgensem, ac directa et utilia dominia Archiepiscoporum Moguntini et Magdeburgensis ac episcopi Halberstadiensis, nec non directa et utilia dominia Marchionum Brandenburgensium, duraturas ad annos octo a die publicationis illarum, cum facultatibus concessis quibuscunque illarum commissariis, et ad instar indulgentiarum olim per sel. rec. Julium papam II. in favorem partium Livonie concessarum; ita tamen quod indulgentie S. V. concessae ecclesie Constantiensi et domui Fratrum ordinis predicatorum civitatis Augustensis non sint suspense pro eo tempore, quo concessae fuerunt. — Medietas elemosynarum et emolumentorum colligendorum, deductis oneribus, debet cedere S. Vestre pro dicta Fabrica, alia vero medietas dicto Archiepiscopo et ecclesiis Moguntine, Magdeburgensi et Halberstadiensis. — Item Archiepiscopus publicabit seu publicari faciet dictas indulgentias infra annum a dato presentium, videlicet die primo Augusti anni MDXIV, et diligenter prosequetur et prosequi faciet illarum negotium, fideliter etiam respondebit et responderi faciet singulis annis S. Vestre de dicta medietate in dicta Urbe, et ex nunc solvet S. Vre. per oratores suos decem millia ducatorum auri de causa libere, et cum pacto expresso, quod illi ex dicta medietate S. Vre. minime deduci debeant. Et placeat S. Vre. dare cautionem camere apostolice, ac promittere in vim contractus et pacti, dictas indulgentias non revocare vel suspendere, et nullas alias indulgentias plenarias etiam pro Fabrica ad dictas provincias, dictis octo annis durantibus, concedere, vel jam concessas ibidem publicare seu publicari facere, preter supra nominatas. — Item placeat S. V. providere, quod pro annatis et juribus camere et collegii ratione retentionis ecclesiarum Magdeburgensis et Halberstadiensis, Archiepiscopus contra concordata Alamannie non cogatur solvere. — Item placeat S. V. concedere Marchioni Brandenburgensi principi electori, fratri dicti Archiepiscopi, et suis successoribus in perpetuum jus patronatus ad preposituras ecclesiarum Brandenburgensis et Havelbergensis, quas ecclesias progenitores et predecessores sui fundarunt et dotarunt. Ita tamen, quod ipse princeps et successores sui teneantur augmentare dotem ipsarum prepositurarum in aliqua parte, quarum fructus in simul non excedunt valorem annum XX marcharum argenti puri. Et declarare dictum jus patronatus foundationis et dotationis, non autem privilegii jure eis competere, Et quod presentati sine alia institutione possint administrare, dummodo infra sex menses impetrent novam provisionem a sede apostolica, et expediant literas apostolicas, ac solvant omnia jura camere apostolice debita. — Item S. V. dignetur gratiose concedere signaturam suppositionis, alias pro parte b. M. Urielis Archiepiscopi Moguntini ultimi defuncti super charitativis subsidiis imponendis oblate.

Placet.

Nach einem in Erhard's Uebersetzungen zur vaterländischen Geschichte Heft 3, S. 12 bereits abgedruckten Actenstücke des K. Prov.-Archivs zu Magdeburg.